



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Demonstrationes  
Chronologico-Historico-Juridico-Canonicæ**

**Callenberg, Caspar**

**Coloniae, 1734**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63192)



# PRÆFATIO.



Xarsit, ut audio, controversissima Controversia in Perillustri Sæcularium Canonissarum Freckenhorstensi, quod apud Westphalos est, Collegio, ex Electione de Abbatissa ultimò celebratâ. Incendio huic, quod in aliquam multos jam annos tenuisse, & sumptus

Numerus  
rimus  
Occasio  
Scribendi.

ingentes absumpsisse dicitur, fomitem subjecit *Ætas Electæ*, necdum *Tricenariæ*; sed ad summum vel *Duodetricenariæ*, vel certè *citerioris Ætatis*. Electionem isthanc in *Capitulum Indemnitatis* 43 §. *Supradicta de Electione in 6.* certò impigisse, mordicus tenebant aliqui: Alii eandem à dispositione hujus Sanctionis vindicare omnibus copiis pugnabant. Nempe *quot capita, tot sententiæ: Diversis Diversa placent.* Hinc & multi ab Electâ steterunt Judices, multi in Electam referuntur; nimirum

*Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo:*

*Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit. (a)*

Quid sit? dum Lis hæc intra Tribunalia in diem trahitur; & interea temporis dubiis volitat Victoria pennis, nunc huic, nunc illi faventior. Principes totius Germaniæ de Jure consuluntur Universitates; videlicet, *Coloniensis*, & *Trevirensis*; quæ unanimi calculo Electionem præactam *Manifestariæ Nullitatis* disertissimè condemnârunt. Quin tamen, cum brevitati consulerent, rationes, quibus utique abundant, suæ adjicerent sententiæ. In hac rerum Peristasi, etsi post tantarum Universitatum (quæ utique omnium optimè de Sæcularibus Germaniæ Canonissis judicare valent) clarissima

A 2

Ora-

(a) *Ovid. Lib. 1. Trist. El. 2. dist. 3.*

Oracula ad certam plenamque Victoriâ Aëtrici nil deesse videretur; placuit tamen nonnullis Synceris Veritatis Amatoribus & meam super hac controversia mentem explorare, eandemque, ut adductis rationibus firmarem, amicissimè expetere. Potuissem equidem in hoc Sententiarum conflictu reponere, aut illud Maronis (b)

*Non nostrum inter vos tantas componere lites.*

Vel Claudiani illud: (c)

*Audebisne precor doctæ subjecta Catervæ,  
Inter tot Proceres nostra Thalia loqui?  
Nec te fama vetat, vero quam celsius actam,  
Vel servâsse labor, vel minuisse pudor?*

Verùm enim verò nefas visum, Veritatem manifestè agnitam suo calculo defraudare, eique tergum obvertere: & duxi

*Turpe laborantem deseruisse ratem;* (d)

Hinc nunc jam non alio, quàm vindicandæ Veritatis studio (itâ me ipsa Veritas amet) Mentem meam per complusculas Demonstrationes Morales (Metaphysicas in hâc Morali Materia nemo sanæ mentis à me exegerit) clarissimè pandam. Nec dubito fore, ut per has discussis nebulis Veritas liquidissimè illucescat, pateâtque omnibus, quod dispositio *capitis indemnitaribus* in hoc casu plenis passibus intret, non obstantibus falsissimis & ineptissimis *de Collegio Mixto, de vita Canonissarum singulari, deque contrariâ consuetudine Exceptiunculis* quas non veri investigandi studium, sed merissima contradicendi Libido, & dira necessitas Electionem perperam factam, à Naufragio liberandi, nuperrimè adinvenierunt, an excogitarunt? Ut autem ordinatius procedam (cum Ordo sit animæ inscriptionis) opusculum hoc ita geminas in partes dispertiam, ut prima ipsas propinet Demonstrationes, Objectiones diluat altera.

(b) Virgil. Eclogâ 3. in fine. (c) Claudianus in Prologo in Mallii Theodori consulationum. (d) Ovidius.